DE HYDROPE OVARIORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

AUGUSTO AC POTENTISSIMO

PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO FRIDERICO

MAGNO DUCE SAXONIAE VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM PRINCIPE LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DYNASTA BLANKENHAYNII NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.

CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN LITTERARUM UNIVERSITATE IENENSI

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

IURIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE CAPESSENDIS

DIE V. M. IANUARII A. MDCCCXLII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRANCISCUS EUGENIUS ROEHR

VIMARIENSIS.

IENAE

TYPIS SCHREIBERI.

PATRI OPTIMO

CARISSIMO ET SUMME VENERANDO

IO. FRIDERICO ROEHR

THEOL. ET PHILOSOPH. DOCTORI

EQUITUM ORDINIS SAXO-VIMARIENSIS ET ISENACENSIS FALCONE ALBO INSIGNITI PRAEFECTO SUMMI SENATUS ECCLESIASTICI VIMARIENSIS PRAESIDI VICARIO CONCIONATORI AULICO PRIMARIO SUPREMO RERUM SACRARUM PER MAGNUM SAXONIAE DUCATUM ANTISTITI ETC. ETC.

HUNC LIBELLUM

SUMMAE PIETATIS AC TENERRIMI AMORIS EXIGUUM DOCUMENTUM

OFFERT

GRATISSIMUS FILIUS

EUGENIUS.

PROOEMIUM.

Ex longo jam tempore a gratioso Medicorum Ordine ea lex sancita est, ut isti, qui summos in medicina honores ambiunt, specimen quoddam inaugurale elaboratum publice defendere debeant, ideoque varia argumenta meditatus sum, quibus huic legi satisfacerem. Circumspicienti ergo mihi, quamnam ex finita disciplinarum medicarum copia scribendi materiam eligerem, denique hydrops ovarii varias ob causas disputatione dignus videbatur, tum, quia hic morbus creber, aegrotisque molestissimus et medicis sanatu difficillimus est, tum, quod mihi saepius aegrotas, hoc malo afflictas, videndi occasio data fuit. Referam igitur quae vidi et quae mihi narrata sunt de hoc morbo deque ejus curatione et sanatione.

Indulgeant autem Lectores, quaeso, juveni in scribendo nondum exercitato, nec a tirone postulent ejusmodi opus, quale a magistro in sua arte peritissimo exspectari solet.

§. 1.

Introductio.

Inter varios sexus feminei morbos, ovariorum vitia saepissime occurrunt, quae plus minusve statum corporis sanum turbant; si vero in ingentem magnitudinem increverunt, graves dolores parant, vitamque laborantium exstinguunt. Saepius autem accidit, ut haec vitia sine conspicuo corporis detrimento excolantur et post mortem demum cultro anatomico detegantur. Copia morborum harum partium e variis, in corpore femineo positis causis repetenda est, quarum praecipuae hae sunt: multiplices stases, in corpore femineo frequentes, pressio uteri gravidi, ipsa graviditas, partus difficilis, frequentissima menstruationis nec non lochiorum vitia, caelibatus, sterilitas, coitus nimius, imprimis frustaneus, masturbatio, vehementes animi affectus, varia diaetae vitia et aliae, quibus et in genere omnes morbi feminei et in specie morbi harum partium produci possunt.

Diagnosis ovariorum vitiorum est difficillima, partim quia facile inter se confundi possunt, partim quod, ut jam monuimus non raro post mortem demum in conspectum cadunt.

Nunc vero inter varios ovarii morbos inflammationem dico tum acutam tum chronicam, scirrhum et indurationem, sphacelum et putrefactionem, atheroma, etc. ad singularem hujus organi morbum tractandum transeamus et quidem ad affectionem ovarii hydropicam.

§. 2.
Natura morbi.

Hydrops ovariorum, Hydrops saccatus ovarii, Hydroarion (Ploucquet), Sarcoma cysticum (Burns), ad hydropes pertinens saccatos aut tunicatos, ea ovarii affectio vocatur, qua interna substantia s. potius cavitas, sine vesiculis aut hydatidibus, aquae plena est, ita, ut ovarii volumen majorem in modum sit auctum atque extensum. Altera hydropis ovarii forma haec est: sin majori sacco plures hydatides vel his similes cellulae continentur. Tertia haec: saccus constat ex variis, et quod ad eorum magnitudinem pertinet, imparibus particulis, partim invicem conjunctis, partim firmis parietibus disjunctis.

Hac nostra denique aetate Blasio [1]) alia hydropis forma, adhuc ignota, occurrit, quam ipse hydropem ovarii profluentem vocat. Per tubam enim Fallopii, in parte libera ovario

---

1) Commentatio de hydrope ovariorum profluente. Halae 1834.

adnatam, ex ipso ovario hydropico discisso, aqua in uterum, inde per vaginam profluit. Sed hoc tum demum accidit, quum tuba ejus lateris, in quo ovarium hydropicum est, cum eodem concreverit, ut humor profluens statim per tubam in uterum transduci possit, et ovarii cavitas, in qua fluidum continetur, aperta sit.

Quod pertinet ad hujus mali sedem atque causam, plerorumque observatio docuit, sinistrum potissimum ovarium hydrope fuisse affectum[2]), idque ex CARI sententia inde fit, quod sinistri lateris procreandi facultas *(Productivität)* major quam dextri sit. Alii rectius fortasse causam hujus morbi ac sedem quaerunt in magna saepiusque redeunte vasorum sanguiferorum et lymphaticorum (sinistri ovarii) compressione, a flexura sigmoidea et ab intestino recto effecta, quae secundum HOFRICHTERI[3]) sententiam imprimis inter graviditatem et per vitam sedentariam majorem vim exercet.

His, quae mihi in universum de hoc malo videbantur dicenda, praemissis, ad morbum ipsum transgrediamur.

§. 3.

Symptomata et decursus morbi.

Initio morbi i. e. in prima fluidi forma-

---

2) MORGAGNI de sedibus et causis morborum. Epist. 38. art. 64.

3) *GRAEFE's und WALTHER's Journal. Bd. 13. Heft 3.*

tione aegra paene nullis aut quam minimis vexatur molestiis; crescente vero malo in regione inguinali supra medium ligamentum Poupartii, plurimum in sinistro latere inter dolores tensivos et obtusos, tumor, ab initio facile huc illuc manu trudendus, raro fluctuans apparet, qui in profunda pelvi sensum ponderis cujusdam ac pressionis excitat; quo magis increscit tumor, tanto inaequalius regionem hypogastricam extendit. Huc accedunt impediti femoris in laborante latere motus et mammarum interdum dolor per consensum excitatus. In exploratione per vaginam semper dislocatio uteri reperitur et ita quidem, ut, si laborat sinistrum ovarium, fundus uteri ad partem dextram conversus sit et vice versa; saepe vero uterus tam in altum propulsus est, ut portio vaginalis tangi vix possit. Simul corpus mobile, plus minusve rotundum, molle aut durum in alterutro latere sentitur. Quod ad reliquum corporis habitum pertinet, ab initio morbi deest cachexiae hydropicae habitus, digestio et assimilatio normales, excretiones et secretiones vix a naturali ratione discrepant, quia malum ab origine et per longum temporis spatium locale est, ideoque reliqua corporis organa minus afficiuntur. Crescente morbo, saepe mensibus, immo annis praeterlapsis, aliae quoque corporis partes turbantur, e. c. oriuntur

anorexia, dyspnoë, vomitus, affectus melancholici et hysterici, cardialgia, dysmenorrhoea, leucorrhoea, suppressio mensium, obstructio alvi, singularis quaedam vultus aegrotantium mutatio, debilitas virium; cutis sicca, pulsus parvus et frequens, urina larga cum sedimento ac albumine eo magis, quo morbus ingravescit; accedunt demum oedema extremitatum inferiorum, hydrops universalis et mors acceleratur viribus febre hectica plane exhaustis.

§. 4.

Sectio cadaverum.

Ovarium vario modo mutatum atque degeneratum reperimus. Fluidum, quod in ovario hydropico continetur, multiplex esse solet; interdum lympha pura observata est, interdum aqua varii coloris, turbida, cruenta, subrubra, fusca, immixto pure; interdum nullum spargens odorem, interdum putridum; porro copia hydatidum variae magnitudinis, crassam saepius gelatinam continentium, firma ac quasi cartilaginea membrana obductarum, inventa est. Repertae sunt porro indurationes cum scirrho, intumescentiae, situs abnormis et concretiones ovarii cum partibus proxime adjacentibus. Monro [4]) ovarium sinistrum ponderis triginta

---

4) *Von der Wassersucht und ihren Gattungen. Leipzig* 1762. *S.* 234.

et septem librarum vidit, quod in varios saccos divisum erat et fluidum, in nonnullis saccis gelatinosum, in aliis vero cremori lactis et in aliis sebo simile continebat. Sampson narrat, feminam quandam hydrope ovarii laborasse demumque obiisse. Totum cavum abdominis hydatidibus plenum erat, quarum aliae libras viginti fluidi in se continebant, aliae magnitudine capitis infantis, aliae vero mali aurantii aut nucis juglandis magnitudine eminebant. Omnes hae vesiculae libras centum et duodecim seri tenacis in se continebant. Vesalius [5]) commemorat ovarium, in novem usque ad decem magnas hydatides mutatum. Wepferus mentionem facit duarum feminarum, quarum ovaria centum et viginti libras fluidi continebant. — Haud raro etiam in ovariis dentes, ossa et pili occurrunt. Pili ipsi varii coloris sunt, aut conglomerati aut dispersi, et partim adjacent corpori cuidam pingui, partim ipso inhaerent. Ita Blumenbachius [6]) meminit ovarii, cui octo ossium fragmenta inerant, quorum quatuor insuper dentes habebant et sedecim quidem, inter quos facile distingui potuerunt canini, molares et incisivi. Autenriethius [7])

---

5) De corpor. human. fabric. Lib. V. cap. IX

6) *Dessen medicinische Bibliothek. Bd. I. S.* 163.

7) *Reil's Archiv. Bd. VII. Heft* 2.

in ovario, ponderi librarum viginti, trecentos conspexit dentes. CHESTON [8]) in ovario hydropico multos pilos coloris nigri nec non dentem caninum reperit. — Quod attinet ad integumenta ovarii hydropici, varia sunt, si spectas texturam et numerum. Secundum DUBRUEIL [9]) integumenta ex quatuor membranis, ex serosa, fibrosa, musculosa et interna proprii generis constant; musculosae jam FLEISCHMANNUS meminit. Cistas invenit DUBRUEILIUS octo vel viginti in cavitate ovarii et ex ejus sententia cista quaeque formatur accrescentibus, primitive in ovario jacentibus, vesiculis. Arterias et venas mirum in modum adauctas conspexit.

§. 5.
Diagnosis.

Nunc de diagnosi hujus morbi disserendum est, quae initio mali summis laborat difficultatibus, absentibus signis adhuc objectivis, subjectivis vero ad certam diagnosin non sufficientibus. Ceterum cum aliis, morbo nostro malis simillimis, facile confundi potest ovariorum hydrops. Medico ergo hoc malum curaturo haec potissimum sunt respicienda: dolor

8) *Dessen patholog. Beobachtungen. A. d. Engl. Gotha* 1780.
9) *Journal hebd.* 1835. *No.* 22.

obtusus, saepius vehemens in alterutro regionis inguinalis latere et in profunda quidem pelvi ab aegrota sensus, cum irritatione febrili et reliquis inflammationis signis. Dein apparet intumescentia abdominis in regione jam commemorata, fluxus mensium turbatus, dolor quidam femoris in latere affecto, cujus mobilitas tumore crescente minuitur ac paene tollitur. In exploratione per vaginam corpus mollius aut durius reperitur, saepius fluctuationem praebens. Totius morbi decursus lentior fit quam in aliis hydropis speciebus, et in universum ab initio mali omnes corporis functiones parum turbantur. P. Franckius[10]) maxime suadet externarum abdominis partium perscrutationem repetitamque tumoris pressionem. Audiamus ipsa verba „Cum digiti nempe apice sub foeminae positione nunc supina, nunc erecta in regione testis non adeo abdomen percussimus quam saepius integumenta abdominis interiora versus caute retropressimus atque sub ipso retropressionis hoc opere, num digitus ad corpus durius, elasticum tamen et a peritonaeo quidquam aversum, allideret, attenti fuimus, atque re ita quidem comperta, a vero non amplius aberravimus.“ v. Swieten[11]) verba facit de diagnosi hydropis ovarii

---

10) Epitom. de curand. homin. morb. Lib. VI. p. 317.

11) Commentar. Tom. IV. §. 1223.

haec: „Incipiens hydrops ovarii facilius cognosci posse videtur a loco, quem occupat, in uno vel altero hypogastrio, et a tumoris limite circumscripto; adest saepe et obtusus dolor et ponderis sensus in loco affecto, dum morbus incipit. His signis addunt, si crus ejusdem lateris tumeat, et per cutis poros aqua saepius exeat.“ — In sequentibus nunc ostendamus, quomodo hydrops ovarii a cognatis affectibus allisque ventris tumoribus differat. Et quidem confundi potest:

1) cum graviditate. Differt tamen a graviditate vera his signis: Tumor in hydrope unius tantum ovarii in alterutro abdominis latere regionis iliacae exstat, lentius accrescit et longius temporis spatium percurrit; in graviditate vero tumor sedem habet supra symphysin ossium pubis in medio abdomine mágisque ad regionem umbilicalem; si manu eum tetigeris, non planus sed inaequalis invenitur; in exploratione interna neque motus, neque partes foetus reperiuntur; mammarum volumen in hydrope increscit quidem interdum, mox vero evanescit ac portio vaginalis vix digito tangi potest magisque in alterutro latere detegitur. Desunt in hydrope orificii uteri mutationes, essentialia porro ac communia graviditatis signa. Uterus gravidus mense ultima in pelvem descendit minorem, ex qua tumor

hydropicus magis magisque ascendit. Molestiae quoque cruris lateris affecti in graviditate aut desiderantur aut utrumque capiunt. Summum vero est securissimumque, vivente quidem foetu, signum: placentaris qui dicitur strepitus cordisque foetalis pulsatio. Cum graviditate extrauterina v. c. in tubis seu ovariis morbus noster quandam quidem similitudinem habet, sed tum essent respicienda praesentia graviditatis eaedemque signa communia nec minus conceptio praecidanea.

2) Ab ascite differt hydrops ovarii tumore ventris magis circumscripto, haud perspicua in regione tantum lumbari ac per vaginam observante fluctuatione, excretione parum impedita seriusque apparente statu corporis sani perturbatione. In exploratione per vaginam et anum tumor circumscriptus invenitur, in ascite talis nunquam. In variis corporis motibus ac sitibus tumor hydropicus non mutatur. In ascite valde progresso extremitatum praecipue superiorum emaciatio ab oedemate inferiorum in hydrope ovarii differt. Neumannus abdomen in hydrope ovarii semper esse obliquum; ad costas vero, os ilei et latus ovarii adhuc sani intumescentiam abesse docet. Porro Rostanus[12]) ovarii hydropem ab ascite per-

12) *Presse méd.* 1837. *No.* 25.

cussione solum distingui posse docuit. Si nempe percussio in aegra, ascite laborante, cujus integumenta abdominis nondum valde tensa, instituitur et ab inferiore abdominis parte ad superiorem progreditur, tum auditur in inferiore regione sonus obtusus (fuscus), ad regionem vero epigastricam altus atque clarus, illi similis, quem audies cum vesicam aëre impletam pulsaveris. In hydrope autem ovarii saccato plane alium esse, inferiore nempe regione altum et clarum, superiore sonum raucum. Cujus rei causa in dislocatione intestinorum quaerenda est, quae, aëre impleta, per pondus ipsius specificum in altum supra fluidum ipsa tolluntur; in hydrope vero ovarii intestina fluido alluente carent ac sensim sensimque crescente sacci ambitu ad inferiorem abdominis partem comprimuntur.

3) Ab hydrope peritonaci discernitur eo, quod hujus tumor minores affert dolores, durus, tensus, magis ad externas partes propulsus conspicitur; plurimum occurrit in regione umbilicali, per longum tempus formam non relinquit et tarde augetur. Umbilicus nonnisi per ingentem mali magnitudinem commutatur, et tunc vocatur hydrops umbilicalis seu hydromphalus.

4) Ab hydrometra distinguitur tumore, in hoc morbo medio abdomine supra symphysi

ossium pubis, non in alterutro ventris latere, apparente. In hydrope uteri menses suppressi, orificium tenue ac tensum, fluctuatio perspicua et profluxus fluidi cujusdam e genitalibus animadvertuntur.

5) A tubarum hydrope dignoscitur figurae diversitate, quam semicircularem notavit Brechtfeldius [13]). Difficillimum sine dubio est cognitu. Morgagnius et P. Franckius [14]) utrum ovarium an tuba laboret, certo distingui posse negant ob tantam propinquitatem et necessitatem officii eorum ad generationis opus. Blancard [15]) mentionem facit hydropis tubae, per quem abdomen aequaliter et in stupendam molem extensum erat.

6) A tympanitide, in qua pariter totum abdomen tensum est instar tympani, sonum a percussione relinquens.

7) A liene magno, qui haud obscure in hypochondrio sinistro tangi trudique hinc inde manu potest, si vel maxime excrescat; raro enim contingit, ut descendat in regionem hypogastricam inferiorem, quod semel observavit Drelincourt in muliere.

8) A mola, qua ponderis instar inutilis

---

13) Act. Havn. ann. 1772. p. 195.

14) L. c. §. 745.

15) Anatom. pract. national. observ. 93. p. 298.

ab uno latere in oppositum devolvitur, cui addimus mensium suppressionem et praecidanea conceptionis indicia. Ac denique

9) a tumoribus reliquis, ex malis viscerum innumeris ortis, distinguitur hydrops ovarii anamnesi bona, functione aliqua organo laeso propria irregulari totiusque morbi decursu.

§. 6.
Aetiologia.

Causa, cur ovarium tam saepe morbis obnoxium sit ex functione ejusdem physiologica facile intelligitur, quae cernitur in novis procreandis et gignendis ac inter omnia corporis feminei organa ovarium sine dubio summum procreandi facultatis obtinet fastigium. Quae procreandi facultas si irregularis extiterit cursumque regularem fugerit, in varias degenerationes et structurae commutationes abeat. Necesse est temperamentum irritabile, cholericum, constitutio sensibilis ac hysterica, neque non periodus climacterica praedispositionem parat. Praematura sexualium irritatio status ovariorum irritati indolem mirum in modum provocare videtur. Ita nobis occurrit ovarii hydrops in puellis onaniae deditis aut in istis, quarum organa genitalia saepissime sine foecundatione irritantur e. c. in scortis.

Meckelius in his saepissime majores minoresve hydatides ovariis adpendentes se invenisse affirmat. Quamquam morbus noster praesertim in feminis sterilibus aut decrepitis invenitur, tamen exempla varia, ut Neumannii, qui ovarii hydropem in puella, octo annos nata, observavit, contraria demonstrant, sicuti etiam verba v. Swietenii: „Quamvis saepius steriles et annosas mulieres occupet ille morbus (sc. hydrops ovarii) tamen et foecundas et in ipso aetatis flore occupasse certum est.“ Feminae quoque matrimonio junctae, hoc malo saepius laborant, quae, quamvis magnum organorum sexualium irritamentum adsit, tamen non concipiunt. Morgagnius[16]) hunc morbum saepius in monasteriis invenit. Idem crebros ovariorum morbos variis animi affectibus tribuit et quidem his verbis[17]): „Saepe adeo mulieribus, praesertim si cum foeminis conferas caeterorum animalium, accidunt testium vitia, tumores imprimis sive hydropici, sive alterius generis, ut facilis sit conjectura, pleraque horum non sine culpa affectuum contingere.“ Et ibidem pronuntiat: „In partu difficiliori, vehementes, crebrique nisus gravem uterum urgent in testes, tubasque sub-

16) L. c. epist. XXXIX.

17) L. c. epist. XXXVIII. art. 38.

jectas, quae particulae ad pelvis ossa opprimuntur, et inflammationis initium contrahunt, quam augent mox lochia, exempli gratia, parcius fluentia.“ Erethismus perpetuus seu inflammatio chronica sine dubio causa hydropis primaria exstat; perseverans enim status erethicus organa ad celeriorem functionem normalem excitat, qua ex causa inflammatio ovariorum chronica haec organa etiam ad functionem ipsius propriam, vesicularum nempe procreationem propellit. Aliae denique causae hae: abortus, suppressio mensium et leucorrhoeae, exanthemata retropulsa, imprimis scabies, laesiones externae, quales sunt omnes abdominis contusiones, casus ab alto et sic porro.

§. 7.
Exitus morbi

varius et

1) quidem bonus. Tumor causis internis aut externis aperitur, fluidum aut per tubam in uterum, inde extrinsecus profluit, aut rarissime quidem, concrescentibus cum ipso ovarii intestinis, stomacho etc. per vomitum ejicitur, seu tumor concrescit cum abdominis integumentis et sic per obliterationem evanescit. Veteres jam exempla in medium protulere, mihi vero errasse videntur, malum illud fortasse

hydrometra seu hydrorrhoea, nullo autem modo hydrops ovarii erat. Rarissime sacculi ruptura existit et profluxus fluidi in cavum abdominis, unde ascites oritur, qua ratione fortasse curatio institui potest[18]). Si quis alia a medicis de hujus morbi exitu observata velit, is adeat Bloxam, Cooper, Percival, Malfatti et alios [19]).

2) Saepissime malum, inprimis si ascites et febris hectica comites accesserint, in mortem abit.

§. 8.
Prognosis.

Haec omnino maxime infausta et morbus plerumque insanabilis. Decursus in longum temporis spatium magna sine corporis turbatione distrahitur. Wepferus exemplum notavit feminae, quae ultra viginti annos hoc malo laboraverat et non ab hoc sed a pleuritide necata est. Alia femina per quinquaginta et octo annos hydrope affecta erat et tumor, excepta pelvis cavitate, totum abdominis cavum explevit[20]).

Fieri etiam potest, ut femina, dummodo

---

18) Morgagni in l. c. epist. XXXVIII. No. 71.

19) Vide *Froriep's Notizen. Bd. XXVIII. S.* 240.

20) *Mémoir. de l' Academ. de Chirurgie. Tom. II. p.* 458.

alterutrum ovariorum morbo vacat, inter ipsum morbum concipiat atque gravida fiat. Prognosin meliorem esse, si hydrops cessatione mensium naturali orta, dicunt, quia aetate jam provecta morbus facilius perferri potest. In hydrope etiam simplici, absentibus degenerationibus, eventus faustior exspectandus est, contrarium tamen tumore duro cum multis conjuncto doloribus. In prognosi denique statuenda ad aetatem laborantis, causam morbi et originem ac totum reliquum corporis statum respiciàtur necesse est.

§. 9.
Curatio.

Curatio difficilis et raro cum prospero successu conjuncta est, propterea quod malum tum demum cognoscitur, quum jam altiorem adscenderit gradum, tum vero etiam quod fluida in receptaculis, cuique medicaminum effectui occlusis, continentur et denique quod, si fluidum pluribus, cum parietibus crassis, cistis inest, paracentesi ipsa illud removeri nequit. Omnia ad alias hydropis formas removendas adhibita medicamina, e. c. fortissima drastica et diuretica, minus aut plane nihil in morbo nostro juvant. Alii suadent emetica, ut per vomitum saccus rumpetur, quae vero methodus ob magnum cum hoc periculum con

junctum ab plurimis rejicitur. Initio tantum morbi, in statu nempe ovarii inflammatorio malum per methodum antiphlogisticum nonnunquam fortasse removeri potest. Tumore, cum doloribus et molestiis conjuncto, perseverante, remedia multa et varia commendata sunt, ut mercurialia et interne et externe, Kali hydroïodicum, Cicuta, Belladonna, Senega, extracta resolventia cum Aloë, Sulphure, Asa foetida, Kali carbonico etc. Seymour adhibuit clysmata e Cicuta et ad usum internum Extr. Colchici. Jodinae primum per Reynolds, tum per Elliotson adhibitae vim quam efficacissime curantem Jahnius confirmavit. Pressione assidua atque aequali per fascias abdomen concludentes Cooper et Hamilton curationem effecisse dicunt, quae methodus etiam a Godelle, Speranza, Martinet et de Moulon laudatur. Denique commendantur electricitas, galvanismus nec minus magnetismus animalis. Nunc transeamus ad varias methodos chirurgicas, per quas hydropis ovariorum curatio radicalis perpetrata est.

I. *Paracentesis.*

Hanc operationem plures commendant, alii vituperant. Post evacuationem fluidi eo celerius id iterum gigni et interdum pejus quoque malum reddi, nisi mortem acceleret, inter om-

nes constat. In prima operatione aqua pura effluit quae in sequentibus magis magisque impura, immixto sanguine et pure apparet. Videtur ergo, per operationem non solum exul cerationem sacci adjuvari, sed etiam virium aegrae exhaustionem accelerari. Nihil juvabit punctio, si ovarium intus affixas habet hydatides nec non cellulas separatas diversas, ac nisi per injectiones irritantes inflammatio et obliteratio sacci tentatur. MORGAGNI[21]) paracentesin dissuadet, plurimum enim ait, operationem tum temporis institui, quum saccus jam plane degeneratus sit et laesionem alienarum partium facile fieri posse. Porro per punctionem et exulceratio sacci et peritonitis periculosa excitari potest. Ex sententia DUBREUILII[22]) paracentesis propter volumen arteriarum et venarum, in hydrope ovarii, valde adauctum periculosa est, quia per vasorum horum laesionem effusio sanguinis lethalis facile adducitur[23]). Idem de punctione judicium fert ELLIOTSON[24]), eamque in nimia tantum abdominis intumescentia, molestiis maximis conjuncta, ad-

---

21) L. c. epist. XXXVIII. No. 68. 69.

22) In libro supra commemorato.

23) Exempla hujus exitus legantur in: *Petersburg. medicinisch-practische Abhandl. Bd. I. S.* 427. *und in der medicinischen Zeitung v. Verein für pract. Aerzte in Preussen* 1837. *No.* 30.

24) In *the Lancet. Jannuary* 1831.

hiberi vult. P. Franckii verba de paracentesi haec „Punctio igitur in provecta, et suffocationem aegrae minitante ovarii hyprope, non aliud, quam paucorum dierum, solatium concedere, morbi vero ipsius incrementum promovere dicenda est.“

Quamvis ergo his de causis punctio non commendanda esse videatur ab altera parte non omittendum est, quod experientia exemplis multorum medicorum probat, vitam saepissime sola punctione servari et prorogari eaque ceteris faventibus medelam effici. Martineau in femina octagies instituit paracentesin, ita ut sex millia sexcentae triginta et una librarum fluidi removerentur et aegrota ipsa per annos viginti quinque vitam egit. Wansbrong [25]) curavit aliam feminam, per sex annos hydrope ovarii laborantem, materia crassa, chocolatae simili, pondere quinquaginta librarum, evacuata. Portal aegrae mentionem facit, in qua per quatuor annos punctio facta est vigesies. Schmuckerus [26]) in femina, sexaginta annos nata, inter spatium annorum quatuor, per paracentesin quinquagies et bis institutam, trecentas et triginta libras et unam removebat. Sed haec sufficiant. — Alii punctionem ovarii per vaginam

---

25) *The Lancet.* 1836. *Bd. II. No.* 13.

26) *Dessen chirurgische Wahrnehmungen. Bd. II. Berlin und Stettin* 1774.

instituendam suadebant, quae tamen tum demum adhiberi potest, cum malum recens atque ovarium in cavo pelvis minori situm est. In malo imo inveterato punctio indicata mihi videtur, si ovarium hydropicum adeo propulsum est, ut partus impediatur aut fieri nequeat.

II. *Cura radicalis.*

Morbus cum per paracentesin saepe in breve tantum tempus leniatur et plane non tollatur, variae de medela radicali in medium prolatae sunt sententiae. Alii, ut fluidum per longioris temporis spatium profluat, et inflammatio adhaesiva parietum sacci efficiatur, troicarii canulam vulneri imponunt. Alii saccum incisione aut lapide caustico aperiunt et suppuratione sequente medelam afferri contendunt. Commendant porro alii injectiones irritantes, setacei inductionem, alii, punctione facta, aëris introductionem, per quam inflammatio adhaesiva augeatur. Si eventum harum rationum curandi variarum spectamus, negari nequit, alterutra earum malum radicitus esse sublatum, quod quidem multis etiam exemplis probatur. Ita LE DRAN[27]) hydropem ovarii cum scirrho conjunctum sanavit incisione et suppuratione. LITTRE[28])

---

27) *Mémoir. de l' Academ. de Chirurg. Tom. II. p.* 431.

28) *Mém. de l' Acad. des Sciences.* 1707.

confugit ad injectiones nec non CHOMEL[29]), qui paene tres hebdomades, bis vel ter singulis diebus injectiones adhibuit et sic mulierem sanavit. DZONDI[30]) hydropem ovarii saepius curavit incisione et immissa turunda; posteaque sacco soluto pcr forcipem ablato. BERNARD[31]) eventum felicem punctione et setacei inductione assecutus est. SAMEL[32]) evacuatione fluidi purulenti, pondere librarum triginta, instituta, per aëris impletionem hydropem ovarii sanavit. Denique adhuc methodi, recentiore tempore a Chirurgis quibusdam propositae, hydropem ovarii curandi, in sequentibus commemoremus.

§. 10.
De Exstirpatione ovarii.

Quam maxime difficilem ac periculosam operationem, qua totum ovarium aegrotans amoveatur, DE LA PORTE et MORAND proposuerunt, atque L'AUMONIER, SMITH, LIZARS et in Germania primus CHRYSMARUS aliique eam peregerunt. — Adhibita est haec operatio in hydrope ac degeneratione hypertrophica ovarii et steatomatosa. Exitus ob magnitudinem et gravitita-

---

29) *Mémoir. de l' Acad. de Chirurg.* 1728.

30) *Beiträge zur Vervollkommnung d. Heilkunde.* 1816. *Bd. I.*

31) Vid. *FRORIEP's Notizen. Bd. XXVII. S.* 96.

32) *RUST's Magazin. XXXIII. H.* 3. *S.* 614. *u. HUFELAND's Journal* 1830. *H.* 10. *S.* 120.

tem vulnerationis saepissime lethalis; tum demum etiam instituitur, si malum amplitudinem maximam jam adeptum sit; in cohaesione ovarii firma partibus finitimis exstirpatio fieri nequit. Omnino operatio rejicienda est et initio solum mali, cum tumor adhuc mobilis ac reliquus corporis status faustus est, eventus hujus operationis felix sperari potest.

§. 11.
Operatio.

Per laparotomiam, potissimum in linea alba, supra media tumoris parte, respecto ejusdam situ, instituitur. Magnitudo incisionis pendet ab ambitu tumoris ipsius. Quum ille nimis firme adhaeret partibus proximis, solvatur, ligaturae in stilo tumoris duplices applicentur et ille inter has dissecetur. Tunc tumor e cavo abdominis removeatur, sin vero id ob magnam per fluidum in ovario extenuationem haud successerit, per punctionem evacuetur. Ligatura in angulo vulneris inferiori exponitur.

Quod attinet ad curationem insequentem, semper in reunione vulneris per primam intentionem, quiete et methodo omnino antiphlogistica consistit.

Exempla exstirpationis, prospero cum successu factae, leguntur pluribus in scriptis[33]),

33) *Annal. universal. d. medic. Vol. XXVIII.*

in quibus feminae mentio facta est, quae ab ovario hydropico, pondere unciarum quatuor, per operationem liberata est. Lizars [34]) quoque pluries exstirpationem ovarii prospere peregit, ac Chrysmarus [35]) eodem eventu gavisus est in femina triginta et octo annos nata, quae adeo paucis annis praeterlapsis concepit et infantem sanum edidit. Rogers exstirpationem quoque ovarii hydropici sinistri feliciter peregit.

Ceterum, cum ovariorum morbi saepissime ex dyscrasia organismi gignentur, timendum est, ne, quamvis operatio exstirpationis unius tantum ovarii prospero cum eventu sit perducta, tamen organum simile aut ovarium alterum aut uterus morbo iterum afficiantur.

---

34) *Ueber Exstirpation krankhafter Eierstöcke. Aus d. Engl. Weimar* 1826.

35) Vid. *Hopfer über Exstirpation krankhafter Ovarien in Gräfe's und Walther's Journal. Bd. XII. H.* 1.

THESES.

I.

Cutis eandem habet auctoritatem ad bonam valetudinem servandam quam pulmones.

II.

Tumoris aneurysmatici compressio rejiciendà est.

III.

In curanda hydrocele excisio semper praeferenda est ceteris methodis.

IV.

Diaeta saepius magis necessaria, quam medicamenta.

V.

Signa infanticidii, nisi plura simul adsint, non satis certa sunt.

VI.

Lithontriptica frustra fere adhibentur.